

continetur, cum eadem Regula per Innocentium IV. mitigata & mutata facile videri potest.

XII. Alexander IV. immediatus Innocentii IV. successor in Bulla qua diversas Eremitarum congregationes, quarum quaedam S. Guillelmi, quaedam S. Augustini Ordinum, nonnullae autem Fratris Joannis Bone, alique viri de Eabali, aliae vero de Britanis censebantur, univit in unam Congregationem sub denominatione Fratrum Eremitarum S. Augustini, ejusdem Regulae, ac uniformis habitus delatione, ibidem §. 6. haec habet: "Vos universos, & successores vestros a baculis & ferulis deportandos, & quod non cogamini ad recipiendas possessiones aliquas, vel habendas, decernens perpetuo liberos, & exemptos." Incipit Bulla, Licet Ecclesia 6 in Bull. R.

Refert insuper Azorius Institutionum Moralium parte 1. lib. 12. c. 23. ex S. Antonino, quod Innocentius IV. immediatus Praedecessor Alexandri IV. decrevisset jam dictos Eremitas sub variis nominibus & Ordinibus viventes in unum corpus redigere, ut more Praedicatorum & Minorum cibo mendicatio viverent, ad populum conciones haberent, poenitentium confessiones exciperent, & ceteras functiones Ecclesiae obirent; sed cum morte praeventus perficere non potuerit, Alexander IV. ejus successor perfecit.

Ex his non obscurum est, circa hoc tempus, scilicet sub medio saeculi 13. hos Ordines incepisse reditus ac possessiones etiam in communis abdicare; atque ad exemplum Fratrum Minorum & Praedicatorum ex elemosynis vivere; ac in ceteris quoque Mendicantium institutum accipere.

XIII. Hos tamen Ordines inter Ordines Mendicantes specialiter nec eo tempore fuisse relatos, neque pro talibus a Sede Apostolica recognitos, indicat Gregorius X. in Concilio Lugdunensi an. 1247. celebrato; ubi Ordinum praecipue Mendicantium multiplicationem nimiam redarguens, ipsosque Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense subinductos & S. A. approbationem necdum commiseritos, censent suppressendos; atque una declarans, quod ad Praedicatorum & Minorum Ordines [quos evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos] praesentem non patiatur Constitutionem extendi, de Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum Ordinibus ita loquitur: "Ceterum Carmelitarum & Eremitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale praecessit in suo statu manere concedimus, donec de ipsis aliter fuerit ordinatum, Intendimus siquidem tam de illis, quam de reliquis, etiam non mendicantibus Ordinibus, prout animarum saluti, & eorum statui expedire viderimus, providere."

Ita habet Decretum a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi editum, extatque tomo 11. Conciliorum general. Col. 989. Ex quo non obscurum est, Gregorium X. concessisse quidem, ut hi Ordines in suo statu, prout tunc erant, permanerent, donec de ipsis aliter provideretur, sed nequaquam positive probasse, aut positive probatos credidisse.

XIV. Scio quidem in Cap. unico §. SANE De Religiosis domibus in IV. ubi hoc Decretum refertur, pro his verbis, in suo statu, legi, in SOLIDO statu; sed scio quoque jam pridem Glossographum ad citatum Capitulum verbo, In solido, notasse: alia SOLITO: "Et hoc, ait, detrahit Bonifacius [scilicet VIII. Sexti Decretalium Auctor] de Concilio Gregorii: sic enim dicebat littera, in suo statu, volumus permanere, donec de ipsis fuerit ordinatum: Intendimus siquidem, &c." prout supra ex Concilio relatum est. Subjungit deinde Glossographus: "Et dicebatur quod Gregorius volebat aliquem de Mendicantibus, dimittere, nisi Praedicatorum & Minorum; De non Mendicantibus tres, Cisterciensem, Ordinem Nigitorum, & de Templariis & Hospitalariis unum Ordinem facere." Haec Glossa.

XV. Interim ex illa textus mutatione & mutilatione non obscurum est advertere, tempore Bonifacii VIII. id est, sub finem saeculi XIII. aut initium XIV. Ordines Caf-

melitarum & Eremitarum S. Augustini Ordinibus Mendicantibus fuisse stabiliter annumeratos, atque ut tales auctoritatis famosi Ordines mendicantium recentius fuerit; scilicet, Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum; de quibus loquens Synodus Colonensis 1536. parte 4. cap. 7. ait: "Aliquod retro saeculus in Ecclesia recepti sunt quatuor Mendicantium Fratrum Ordines, quod Parochorum in verbi Ministerio cooperarii forent."

XVI. His quatuor Ordinibus successu temporis plures accesserunt, atque inter Ordines Mendicantes recentius, Ordinem S. Francisci de Paula vulgo Minorum inter Ordines Mendicantes comprehendens specialis Bulla declaravit Pius V. quae incipit, Apostolica Sedes 49. in Bulla Romana.

XVII. Idem Pontifex per Bullam quae incipit, Dum indeffesse 131. in Bull. R. Religionem Clericorum Regularium Societatis Jesu esse vere de Ordinibus Mendicantibus declaravit; "Tum quia, ait, ipsa Societas MENDICANTIS existit, quippe quae ex ejus instituto & constitutibus a Sede Apostolica confirmatis, bona stabili possideat, neque, sed incertis elemosynis, fideliumque largitionibus & subventionibus vivit; tum quia non minus quam ceteri mendicantes in excolenda vinea Domini assidue laborat."

XVIII. Carmelitarum Discalceatorum Ordinem esse unum de quatuor Ordinibus Mendicantibus, scilicet; Ordinem Carmelitarum, cujus Religiosi Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano habitantibus in monte Carmelo traditam & ab Innocentio IV. confirmatam profitentur & observant, declaratur in Bulla Clementis VIII. quae incipit, Romanum Pontificem 101. in Bull. R.

Ex haecenus dictis habemus, Ordines Mendicantes, partim ex Regula, uti S. Francisci, partim ex Constitutionibus & consuetudine jam pridem venientiale redditibus & possessionibus non tantum in particulari, sed etiam in communis; ita ut nec ipsa Communitas redditus & possessiones, de quibus singuli sua necessaria acciperent, habere possent.

XX. Hanc paupertatem Ordinibus sive Religionibus Mendicantibus, quae non tantum ad contemplandum; sed etiam ad contemplata aliis tradendum ordinantur, magis convenire docuit S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 7. "Quia, inquit, illis Religionibus quae ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maxime ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit dum modica, quae sunt necessaria vitae, congruo tempore procurata conservantur."

Non dubium, quin, si vitae necessaria suo tempore subministrarentur eis, qui ad contemplandum ac contemplata per praedicationem aliis tradendum sunt ordinati, sine minore sollicitudine, ac consequenter sine minore impedimento suis functionibus insisterent possent. "Nam, ut ait idem Doctor, possessiones communes multas sollicitudines ingerunt de ipsis conservandis; & custodiendis, & excolendis."

XXI. Verum vix Ordinibus hisce exortis, & nonnihil multiplicatis, visum fuit, quam difficile, quamque molestum sit, tantum Religionum numerum Fidelium elemosynis sustentari, adeo ut ex Matthaeo Parisiensi ad an. 1258. in suo Monastico referat Dadinus Alceferri lib. 1. cap. 11. "Universitas insuper Parisiaca per praedicatorum res & Minores non mediocriter est perturbata; tot autem Ordines exorti sunt, quod hi hos & de converso supplantant: nec sufficit, ut consuevit, populus eos plebis elemosynis sustentare."

XXII. Insuper altissima illa paupertas, quae nec in communis redditus possessionesque admittit; sed jubet vitae necessaria a Fidelium mera liberalitate, quasi mendicatio expectare; frequenter non exigua secum trahit incommoda ac molestias, quibus ferendis populus non sufficiens etiam illi, qui ad vitae Monasticae perfectionem jam aliquatenus pervenerunt.

Unde

Unde S. Thomas in Opusculo 15. cap. 17. expresse fateatur, quod expediat propter eos qui non sunt summa perfectionis capaces, communes possessiones possidere. Hinc plurimae inordinationes, & ipse quoque Regularis disciplinae collapsio tandem in multis Monasteriis secuta sunt.

XXIII. cum enim multiplicatis Ordinibus Mendicantium Fratrum, coepissent & imbecilliores minusque perfecti inter ipsos reperiri, qui molestias & incommoda, ex summa illa & utilissima paupertate provenientia animo Christiano ferre non possent, compertum fuit, quod multum, ut se a molestiis ac indigentis eximerent, recurrerent ad media ab Instituto suo, & mente Patrum aliena; ac ipsius Religionis disciplinam enervant, imò quae ipsi populo ac Clero hos Ordines odiosos redderent.

XXIV. Et quod mirum, eodem saeculo quo primùm exorti fuerunt Mendicantes, ad provinciales & ciuitates sui Ordinis scribit Seraphicus Doctor Bonaventura tunc Ordinis Minorum Minister Generalis electus: "Perquiritenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo exterius inficitur, & interior scientiarum interitus defaetatur; occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia nostri Ordinis paupertati sumper omnia inimica avidè petitur, incautè recipitur, & incautè contrahitur. Occurrit quorundam Fratrum otiositas quae sentina est omnium vitiorum; qua plurimum consopiti, monstrosum quemdam statum inter contemplativum & activam eligentes, non tam carnaliter quam crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, gravando eos per quos transeunt, non exemplum post se relinquunt vitae, sed scandalo potius animatum. Occurrit importuna petitio, qua omnes transeuntes per terras adeo adhorrent Fratrum occursum, ut eis timeant, quasi praedonibus obviare. Occurrit aedificiorum constructio sumptuosa & curiosa; quae pacem Fratrum inquietat, amicos gravat, & hominum perveris judiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam Regula nostra prohibet; ex qua suspiciones, infamations, & scandala plurimum oriuntur. Occurrit improvida commissio officiorum, qua Fratribus nondum usquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis, imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam sepulchrum & testamentorum avida quaedam invidia, non sine magna turbatione Cleri, & maxime Sacerdotum."

Similia deploravit idem sanctus Doctor in alia Epistola ad eosdem Provinciales & Custodes Ordinis sui iterato data, & in Ordinis Annalibus ac temporis sillius historiis latius relatata.

Neque alii Mendicantium Ordines ab his incommodis immunes fuisse eorum chronica & antiqua monumenta, & iis eliminandis opposita Statuta, abunde evincunt.

XXV. Prudentiores autem propius expendant, aucto Religioforum numero, nec non ipsius primo Religionis fervore, & laicorum in eos affectu deservescente, difficulter posse sine magnis incommodis, absque communibus redditibus & possessionibus Ordinem ejusque disciplinam in sua puritate stare, consultius credidèrunt, ut illi saltem Ordines, quibus non ex Regula, sed solum ex Constitutionibus vitium: erat in communis redditus & possessiones habere, ab his Constitutionibus nonnihil recederent; atque ad Regulam, quae redditus & possessiones in communis possidendas permittebat, redirent.

XXVI. Quod cum jam pluribus in Religionibus esset per licentiam Sedis Apostolicae, vel Ordinis contrarias Constitutiones inductum, tandem Synodus Tridentina probavit, concedendo omnibus Monasteriis & Dominibus, tam virorum quam mulierum, & Mendicantium, exceptis Dominibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum qui Minorum de Observantia vocantur, utam quibus ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps

bona immobilia possidere liceat. Sess. 25. De Regularibus cap. 3.

XXVII. Utque Synodus efficacius occurreret incommodis, quae ex nimia Monasteriorum egestate, & necessariorum ad vitae sustentationem carentia, nata sunt oriri, eodem Decreto sancivit, "In praedictis autem Monasteriis, tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac imposteriorum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commode possit sustentari."

XXVIII. Ab hoc Decreto circa possessionem bonorum immobilium excipi voluere Capucini & Minores de Observantia, eo quod non tantum eorum Constitutiones, sed ipsa S. Francisci Regula, quam profitentur, hujusmodi bonorum possessionem interdicit, eosque ad altissimam illam paupertatem adstringat.

XXIX. Circa Decretum Tridentinum bonorum immobilium possessionem Monasteriis Ordinum Mendicantium permittens, praevia ad publicationem ipsius Concilii in Belgio, id notatum Regia Concilia, non aliter admitti posse, ut Monasteria illa bona immobilia deinceps possideant, quam si ex consensu Principis bona amovissent. Brabantia addiderunt, si id aliter accipiatur, fore contra articulos inaugurationis, seu lati Introitus suae Provinciae, quibus custodiendis Regia Mejetas jurejurando adstringitur. Ita refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico cap. 32. §. 43.

XXX. Quantumvis verò Monasteriis Ordinum Mendicantium, exceptis Capucinis & Minoribus de Observantia S. Francisci, facta sit licentia possidendi bona immobilia in communis; atque ea facultate pleraque hodie utantur; nequaquam tamen propterea desierunt esse, & vocari Ordines Mendicantes.

Mendicantes quippe praecipue dicti sunt a Mendicitate, quam etiam hodie cum bonorum immobilium & reddituum in communis possessione tanquam partiale medium, quo sibi vitae subsidium procurare queant, adhuc retinent.

XXXI. Porro sicut nulla Monachorum Regula ante S. Franciscum vetuit bonorum reddituumque in communis possessionem; ita primus ipse Franciscus in sua Regula, Mendicitatis seu conquirendi elemosynas ostentim mentionem fecit occasioneque nomenclaturae Mendicantium Fratrum dedit.

Quidni igitur quod S. Franciscus de hac mendicitate dixit, pro norma Religiose Mendicitatis habeatur ac reputetur?

XXXII. Voluit S. Franciscus in sua Regula, ut Fratres quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter & devotè; ita tamen ut per laborem sanctae orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.

Insuper vult, "ut de mercede laboris, pro se & suis Fratribus necessaria corporis recipiant, & hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & paupertatis sanctissima lectares."

Haec cap. 5. ac tum cap. 6. subjungit: "Fratres nihil sibi appetant, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini & advena in hoc saeculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadunt pro elemosyna." Quasi diceret, si merces laboris vitae necessarii non sufficiat, tunc Fratres tanquam peregrini & advena in hoc saeculo vadant pro elemosyna. Quod apertius indicat in suo Testamento.

Hic nimis rursus non verbis dumtaxat, sed suo exemplo Fratres ad laborandum excitans dicit: "Ego manus meas laboravi & volo laborare, & omnes alii Fratres mei firmiter volo quod laborent de laborio, quod pertinet ad honestatem, Et qui nesciunt discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem."

XXXIII. Ut verò amplius Fratres a cupiditate & sollicitu

licitudine lucri ex laborio suo acquirendi avocaret, si sequenti subdit. Et quando non daretur nobis pretium laboris, resurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostentati.

Quasi diceret, laborems strenue manibus nostris; sed si ne anxietate, & cupiditate lucri. Si enim contingat nobis non dari pretium laboris: tunc non erubescamus, ut tamquam peregrini & advenae in hoc saeculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadamus pro eleemosyna confidenter, sive resurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostentati.

Quare nequaquam obscurum est, S. Franciscum noluisse, Fratres recurrere ad mensam Domini petendo eleemosynas ostentati, nisi dum jam omnibus rebus & facultatibus etiam in communi abdicatis, ipsoque laboris pretio deficientes, necessariis vitae subsidiis destituuntur.

XXXIV. Hinc illud ejusdem Patris legitur apophthegma 41. Fratres quantoties hortabatur utinanes discunt, sus, & nimias sollicitudines in acquiritendis vel colligendis, dis eleemosynis vitarent, & omnino questus superfluos, abhorrent, dicens: Fratres, petite tantum victui & vestitui necessaria. Ego de me fateor, & gratias ago Deo, quod numquam fui fur aut latro eleemosynatum; semper enim minus accepi, quam me contingeret, ne alii pauperes sua sorte fraudarentur; quia contrarium facere semper futurum reputavi.

Nihil ergo superflui questus ex eleemosynis conquiri voluit S. Franciscus, ipsius mendicitatis Religiosae atque altissima illius paupertatis primus inter Monachorum Patres institutor; quin & furium eleemosynarum aliis pauperibus debitum esse reputavit, si quid praeter victui & vestitui necessaria acciperetur.

XXXV. Adhuc manifestum est, S. Franciscum enixe commendasse Fratribus, ut manibus laborarent; & casu quo ex laborio pretium sufficiens victui & vestitui non acciperent, tunc in subsidium, tamquam pauperes & advenae in hoc saeculo, ad mensam Domini recurrerent, petendo eleemosynam ostentati.

XXXVI. Verum Nicolaus III. in Cap. EXIIT De Verborum Significatione in VI. elucidans nonnulla dubia circa Regulam S. Francisci, quam ipse aliquando professus fuerat, & exponens verba illa Regulae, quibus Fratribus labor MANUUM praecipitur, declarat: Quod consideratis verbis praedictis & forma seu modo loquendi sub quibus Fratres ad hujusmodi exercitium inducuntur, non videatur ea fuisse instituentis intentio, quod vacantes in domo vel Divinis Officiis, & Ministeriis exequendis, manuali labori seu operationi subiceret, vel ad hoc illos arctaret.

XXXVII. Et ante Nicolaum III. S. Thomas docuit Religiosos posse ex eleemosynis vivere: primo propter necessitatem, quae provenit vel ex corporis infirmitate, ex qua contingit, quod non possint sibi labore manuum victum quaerere, vel si illud, quod ex opere manuum conquirent, eis ad victum non sufficiat.

Secundo possunt juxta S. Thomam Religiosi ex eleemosynis vivere, si praesentem auctoritate Praelatorum, aut altari ministrent & Sacramenta administrant; vel etiam si studio Sacrae Scripturae ad communem utilitatem totius Ecclesiae insistant.

Post haec subdit S. Thomas, Si vero aliqui sint Religiosi qui absque necessitate & utilitate quam afferant, velint otiosi de eleemosynis quae dantur pauperibus, vivere, hoc est eis illicitum. Unde S. Augustinus dicit in libro De Opere Monachorum: Plerumque ad hanc professionem servitutis Dei & ex conditione servili aliqui veniunt, & ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione & plebei labore, de quibus non apparet utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes vacui passim atque vestiri voluerint, & insuper honorari ab eis a quibus contemni conteritur, que confueverant. Tales ergo se, quo minus operentur, de infirmitate corporis excusare non possunt. Prae-

rite quippe vitae consuetudine convincuntur. Et postea subdit, Si nolunt operari, non manducant. Neque enim propterea ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur. Nullo enim modo decet, ut in ea vita ubi Senatores sunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quod veniunt relictis deliciis suis, qui fuerant praediorum domini, ibi sint rustici delicati. Haec tenet S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 4. in C. qui ibi tem cum sibi objecisset in argumento, quod Apostolus nolebat vivere de sumptibus Fidelium, ut occasionem auferret pseudo-Apostolis: & ne scandalum poneretur infirmis, ergo videtur, quod propter easdem causas Religiosi debeant abstinere, ne de eleemosynis vivant. Respondet, Quod quando apparet manifesta necessitas & utilitas, propter quam aliqui Religiosi de eleemosynis vivant absque opere manuali, non scandalizantur ex hoc infirmi; sed malitiosi, more pharisaeorum, quorum scandalum contemnendum Dominus docet Matth. 5. Sed si non esset evidens necessitas & utilitas, posset exinde generari scandalum infirmis, quod esse vitandum.

Igitur juxta S. Thomam, cui & S. Bonaventura variis in locis consentit, Religiosi ex eleemosynis vivere possunt, tamen si manibus non laborent, si pro Ecclesia spiritualiter acutiliter laborent; atque hoc ferè unico titulo hodie Fratres Mendicantes ad colligendas eleemosynas admittuntur.

XXXVIII. Moribus siquidem Belgii vicinarumque Provinciae passim obtinuit, ut Religiosi ad civitates cum facultate eleemosynas ostentati petendi, sive quaesitandi, ut ajunt, admittantur, modo veniant tamquam Parochialis Ecclesiarum & Ordinariorum Sacerdotum ac ministrorum coadjutores & subsidiarii, & cum onere inserviendi populo in spiritualibus, ubi id necessitas postularet.

Neque extra civitates alii Religiosi ad quaerendum sive ad eleemosynas quaerendas admitti solent, nisi qui in locis stationes habentes, certis diebus ibidem Parochias in praedicatione aut Sacramentorum administratione assistunt.

XXXIX. Pro hoc notandum, quod hodie in hisce aliisque Provinciis agere permitteretur, ut Religiosi etiam ex Ordine Mendicantium aliquo in loco eleemosynas colligerent vel peterent, nisi consentiente Magistratu loci, Neque licitum esse, sine consensu Regis, collectam aliquam publicam, etiam pro pauperibus, aut Religiosis, tamen Bulla Pontificia munitis institueri in Gallia aliisque Regnis, ostendit Carolus Fevretius lib. 3. De abusu cap. 1. num. 18. quod & in Belgio agere permitteretur; praesertim si de notabili collecta ageretur.

XL. Porro quocumque titulo haec Religiosa Mendicitas sive quaestio instituitur, semper in illa observanda est moderatio & modestia quam ipsi Ordinum fundatores, & ipsae Regulae Religiosae paupertatis & modestiae requirunt.

Atque imprimis in hac eleemosynarum collectione ipsi Religiosi ex iis viventes, merito attendere debent, se tamquam pauperes & advenas in hoc saeculo vivere; hancque esse praeter ceteris Religiosis, Fratrum Mendicantium professionem; atque eo titulo paucis, tam in victum quam vestitu debere esse contentos.

Quod evidenter supponit S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 7. in C. probans Religiosis institutis ad contemplandum & contemplata aliis tradenda convenire, non habere possessiones in communi; quia minorem adfert sollicitudinem, dum modica, inquit, quae sunt necessaria vitae congruo tempore procurata conservantur; non obscure supponens, quod Religiones hujusmodi modicis debeant esse contentae.

Ad quae reflectens S. Thomas Commentator Cardinalis Cajetanus ait, unam ex causis ob quas experientia teste hodie plus sollicitudinis adferat, vivere ex eleemosynis, quam ex moderatis possessionibus esse, nimios Reli-

giosorum sumptus. Nam, inquit, quod triginta Religiosi hodie exigunt, paulo ante centum forte sufficiebat.

XXI. Ulterius cum hodie pene solo titulo laboris spiritualis eleemosyna a populo petatur; eadem eo intuitu populus det, merito quoque Ordines illi attendunt, ne populus nimium gravetur sustentatione eorum, qui ad spirituales hunc laborem impendendum nullatenus conducunt. Quare, ut ait Cajetanus loco citato, non debent omnes ad harum Religionum professionem recipi, sed soli idonei ad officium praedicandi & confessiones audiendi, & ministri eorum necessarii.

Hac de causa Magistratus locorum in admissione Ordinum Mendicantium nonnumquam numerum admittendorum ad hunc Conventum limitant, ne alius excessivus eorum numerus administrandis populo spiritualibus haud necessarius, nimium oneri sit; uti supra notavimus.

XXII. Sollicitè insuper ad laborare debent, ut in hac eleemosynarum collectione se exhibeant, ut notam cupiditatis & avaritiae non incurant, ipsique populo suadeatur, praedicationem caeteraque spiritualia officia quaestus causa non institui.

Hac de re laudabile est Ordinis PP. Praedicatorum statutum: Cum praedicatores se tamquam veros Religiosos, & viros Apostolicos exhibere debeant, & nulli materiam scandalum praebere, & ab omni specie mali abstinere, idcirco nullo modo debent permittere, ut dum actu praedicant, colligantur pecuniae, sive pro domo, sive pro quacumque persona, ne notam cupiditatis, vel avaritiae incurant; & praedicationis officium in vilipendium veniat. Et ob id sub poena excommunicationis mandatur omnibus fratribus, ne de caetero praetextu cuiuscumque extranei quaestus, & indulgentiae praedicationis, quovis modo discurant, precium, aut salarium, pro hujusmodi praedicationibus accipiant; vel ad hoc fratrem aliquem inducant. Et nihilominus tales divitiarum corruptores, qui labe cupiditatis, & quaestuarum illusionum splendorem nostrae religionis offuscant, officio praedicationis, & bonis ad usum concessis, sint ipso facto privati, & per annum ad carceres deputentur. Poterunt tamen Praedicatores, & fratres Conventum commendare, & populo paupertatem, & necessitatem exponere, ut suo tempore eis eleemosynas conferat, & ad hoc adhortari. Hac ex Summario Constitutionum, declarationum & ordinationum pro regimine Sacri Ordinis Praedicatorum, parte 2. cap. 59.

XXIII. Deinde in hac quaestione se ita exhibere debent, ut suo modesto & religioso agendi modo ab odio illo quaestorum hominum genere a Concilio Tridentino abolito se plane distinguant, non minus, aut fraudibus inducant Fideles ad eleemosynas, non petant tamquam debitum, aut solutum, neque ullam arte, etiam praetextu dicendi aliquas orationes, aut lucrandi certas indulgentias, aut aliter extorqueant pecunias aut alia bona, sed simpliciter, pie, & modestè petendo eleemosynam pro sustentatione Fratrum, accipiant tantum quod sibi spontè offertur, nec super iis eleemosynis nullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in utilitatem ipsorum Monasteriorum; quemadmodum Pius V. & Gregorius XIII. ex sententia S. Congregationis Concilii Tridentini in simili quoad collectionem eleemosynarum ac interventionem Hospitalium responderunt; ut refert Fagnanus ad Cap. CUM EX EO De panis. & remiss. nu. 21. 22. & 23.

CAPUT V.

Omnia undecumque Religiosis obvenientia in communes usus Fratrum sunt dispensanda.

1. Normam dispensandi Monasteriorum proventus rectè desumptam normam primariam Christianorum. Van Espen Jus Eccles. P. I.

2. Inter primos Christianos omnia erant communia.

3. Erant communia ut in singulorum unus pro cuiusque necessitate distribuerebatur.

4. Eandem dispensandi normam inculcat Regula S. Augustini, estque basis totius vitae Monasticae.

5. Augustinus consonat S. Benedictus.

6. Quidquid a parentibus datur Religioso, debet dari Praelato ut in communes usus distribuatur.

7. S. Benedictus voluit ut res alicui Religioso a parentibus donata potius uni alteri per Abbatem datur, quare:

8. Hanc proventuum in communes usus dispensandorum normam probat Synodus Tridentina.

9. Mentem Synodi Tridentinae exposuit Clemens VIII.

10. Hanc Clementis declarationem & Constitutionem innovavit Urbanus VIII. ac novissime Innocentius XII.

11. Synodus P. I. Cameracensis sequuta mentem Concilii Tridentini, declaravit omnia undecumque Religiosis obvenientia ut communia esse dispensanda.

1. Bona ac proventus Religiosorum in communi viventium, quos caenobitas dicimus, quomodo sunt dispensanda, ostendit ipsa dispensationis norma, quam servarunt primi Christiani Hierosol. in communi viventes, qui ipsam Caenobitarum vivendi rationem praelinearunt. Hanc Sacrae Textus his verbis expressit: Multitudinis auctorem Creditum erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis OMNIA COMMUNIA Act. 4. v. 32.

II. Aliter Sacrae Textus, quod nemo istius multitudinis aliquid suum esse diceret, id est, nihil sibi appropriaret, sed illis omnia essent communia; nimirum ut in communem multitudinis usum, non tamquam uni magis quam alteri propria, sed tamquam omnibus indifferenter communia dispensarentur; quemadmodum Scriptura in sequentibus exponit. Quotquot enim, ait, possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferbant pretia eorum qua vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem SINGULIS prout CUIQUE opus erat.

Et alio loco. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia COMMUNIA. Ad quid erant communia? Mox exponit sacer textus dicens: possessiones & substantias vendebant, & dividebant ea omnibus, prout CUIQUE OPUS erat. Act. 2. v. 44. & 45.

III. Erant ergo omnia illis communia, ut multitudini sive Congregationi illorum Fidelium, seu Creditum in communem usum, sine respectu a quo plura vel pauciora obvenissent, distribuerebatur; imò singulis indifferenter prout cuique opus erat.

IV. Haec est illa dispensandi norma, quam Patres tamquam vitae Caenobiticae primum fundamentum, & totius disciplinae Regularis basim in suis Regulis fortissimè inculcarunt.

In Regula, quae S. Augustini dicitur, quaeritur hodie tum Canonici Praemonstratenses, & qui vulgò simpliciter Canonici Regulares dicuntur, tum Eremitae S. Augustini, item Dominicani pluresque alii utriusque sexus Ordines profitentur, haec habentur Cap. 1. Primum propter quod in unum congregati estis, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una & cor unum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, sed sint in vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum a Praeposito vestro victus & tegumentum, non aequaliter; omnibus, quia non aequaliter valetis omnes, sed potius unicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitur in actis Apostolorum: Quia erant ipsis omnia communia.

Ecce Augustinus voluit, ut nullus aliquid haberet proprium, sed omnia essent communia; ita scilicet commune opponens proprio. Sed quare omnia communia? Ut distribuatur unicuique de Congregatione prout opus est; sive ut in communem omnium usum pro cuiuscumque necessitate omnia indifferenter dispensarentur.